Frid. Zamell

DRUSIS GEMMIFERA,

Sive

Gemmarum Elbingensium detectio.

ELBINGÆ Typis Bodenhausianis
anno M. DC. XXXV.

Ad candidum Lectorem

VT colerem & meritos & quos meruisse negares;
Hoc Patriæ, Lector candide, fecit amor.
Cur non & patrias celebrent mea carmina gemmas?
Sæpe decem præstat gemma vel una viris.

De Adamante Elbingensi primùm exhibito, dicatoq;

Celsitudini

Jllustrissimi Herois ac Domini, Domini

AXELII OXENSTIRNII

Lib. Bar. in Cymitho, Domini in Fiholm & Tydoen, Eq. Aur. S. R. M. Svedicæ Senatoris ac Cancellarii, ad Exercitum in Germaniâ Legati, partiumq; ibidem Regiarum Gubernatoris Generalis &c. &c.

IAm non exiguâ Sol parte reliquerat Austros,
Oppositamq; plagam nostro vicinior Orbi;
Cùm primùm se silva sonans expertaq; succos
Induit in folium, latèq; canora volucrum
Colla Iovem mulcent, ac qualem carmina Vatum
Concelebrant annum, cœlo nitidissimus exit.
Solus ego, ut nullis aut certo jungor amico,
Egredior portâ, Solem quæ spectat Eoum.
Finibus in patriis celso mons vertice surgit,
Maximus, ut perhibent, nostræ ditionis in agro;
Hic nisi, cùi Boreas cùm proxima littora verrit,
Horridus incumbit, quoq; ævi obscura vetustas
Anguiolas Regum tradit firmasse Borussos
Arcibus impositis, Cellasq; in signa reliqvit,
Sidereum majore jugo contingeret axem.

Nix

Nix Phœbi radiis liqvefacta cacumine summo
Descendens strictos mediis convallibus amnes
Auxerat: ætherios tellus ubi senserat ignes,
Gramineis se sponte thoris ornare parabat:
Sed discrimen adhuc primis restabat in herbis
Sulcorum & scamni, qvod vomere cultor acuto
Mensibus imbriferis exacti fecerat anni.
Ventorum flatus proceris sistere fagis
Pars agri solita instantis sub tempora brumæ,
Surgentis Zephyri lenes exceperat auras.
Qvàq; per amfractus loca sub declivia montis
Difficilis descensus erat, vestigia juxtà
Ducebant hominum pingvi durantia limo.
Signa seqvor, vallemq; peto; cùm plurimus humor
Hærentem ancipiti demersit tramite calcem.
Vt rivum vidi, vitream manantis anhelo,
Qvalis se longo tractu provolverat, undam.
Protenus ad liqvidum converto lumina fundum,
Intendoq; aciem (namq; alto gurgite candens
Nescio qvid, scrupusne foret seu gemma micabat)
Brachia demisi tremulis errantia limfis,
Donec adacta vado prædam tenuêre petitam.
Celme puer, dixi, qvondam gratissima magni
Cura Iovis, nunc & Regum pretiosa voluptas,
Ergone Te nostris etiam venabimur oris,
Et patrias augebis opes, famamq; locorum,
Quorum munus eris? nec Te qvi proxima Gangi
Rura colunt, Oxumq; bibunt, aut dives odori
Thuris Arabs magno populis obtruserit Arcti?
Vos Eumondorii liceat mihi dicere tamtum,
Tale nihil vestris nascens in montibus Albis,
Tale Caledoniis mittit nil Scotus ab agris,

Nec

Nec par Dacus habet, Scythicumq; remotus ad Istrum,
Durities experta vitro limæq; ferocis
Arjete, tum candor qvalem non limpida donent
Stagna, sed Ætnæis rutilans vibraverit antris
Scobs liqvidi ferri, qvod tractavêre Cyclopes,
Mallaicis certent dubio sub judice gemmis.
Sive jugi summo Dryades Te vertice vulsum
Subjecti torrentis aqvâ mersêre cadentem;
Capripedes seu Panes erant, seu Najades ipsæ
Mercedem hanc nostri voluerunt esse laboris;
DI nemorum faveant, qveis sæpe sub arboris umbrâ
Propter aqvam gelidi fontis mea fistula carmen
Lusit, & agrestis cecinit spectacula pompæ.
Sic ego: namq; ingens animum tunc fugerat omen,
Indiciumq; rei sextâ post luce futuræ.
Venerat hæc Phœbi roseis invecta quadrigis,
Cùm Moschi domitor nostras Sigemundus ad urbes
Appulit, ac patrio lustravit Drusida vultu.
Tertia protulerat Nemeæi signa Leonis
Messis, & agricolis aderat labor actus in orbem.
Rura peto lateri cari sociatus amici.
Et silvas & vos tenebrosis vallibus amnes
Labenteis adiisse juvat: dum margine rivi
Statur, & æstivæ recreantur fontibus horæ;
Qualis inest astris, oculos lux visa per undas
Irradiare meos: vidit, stupuitq; coruscum
Lumen amica manus: Stygios qvæ sidera, dixit,
Extinxére focos confuso fœdere rerum,
Cocytiq; lacus rupére nigramq; paludem,
Ac nostrum opposito cœli de cardine mundum
Collustrant fulgore novo? vix talia noster
Fatus erat; taciti placido procumbimus alveo,

Et fundi seqvimur lætum jubar. Ilicet alto
Gurgite deprensæ tolluntur in aëra gemmæ.
Septem Adamantes erant, qvos inter maximus ignes
Scintillat Latöe Tuos, mihi nomine Solis
Dictus: habet Veneris nomen, qvi proximus illi.
Nec Iovis ætherii qvi cærula templa referrent
Sapphiri deerant, aut qvæ micat igne Pyropus
Gratiùs ex æqvo Tyrios imitata colores.
Nec non & primæva Opalos elementa secutos.
Et vini laticem violæ sub flore tegenteis
Cernere erat lapides, tum qvem sincerius aurum
Indigitat, Siculamq; alter qvi servat Achaten.
Numina se nostris infundent maxima terris,
Exclamo, venientq; dii sive Orbe propinqvo
Sarmatiæ, seu parte aliâ degente remotâ.
Vt redii; venisse Gothos, portuq; Borusso
Invectas exisse rates ad littora VarmI
Terrores inter prænuntia fama ferebat.
Iamq; dies alterq; dies mortalibus ægris
Rettulerat curasq; graves durumq; laborem,
Flumine cùm nostro se condidit Arctica classis,
Qvæ Regem heroasq; animas tulit. Ille feroci
Marte animos terrens portas intrabat apertas.
Mirabar patrias augusto in pectore dotes,
Et qvicqvid plus qvàm genitor conceperat ausi
Fortunæ majoris opus. Te judice nostræ
Illo, OXENSTIRNI, dignæ sunt Rege Camœnæ.
Drusidos altricis primas sacrare parabam
Huic capiti gemmas: dum qvæ legat ipse, revolvo
Et mihi displiceo, jam sic commissa placere
Posse reor, meritumq; auget lithoglypta nitorem,
Principis Ensiferi vitam profuderat arvis

Asser-

Assertor rerum, qvas non acquireret Arcto
Sed fundi Domino, Cæsar qvem presserat armis.
Bis Philuran illi, bis ademtos reddidit agros
Non dubius lethi, qvod solum optârat honestum.
Tu mens orta polo cognataq; Regibus Orbis,
Alter honos Regni, nostros Adamantas habeto.
Tu calamum primus, Gothici quo prælia Regis
Condidimus vero gestorum ex indice, nostras
Iußisti tractare manus: Tu sive potestas
Hunc non inferior, cùm visum, à Vate reposcet.
Nil ego degeneres animas aut livida vanæ
Corda moror plebis: qvas Tu mihi sufficis auras,
Turbidus ex alto non obfuscaverit Auster.
Vive decus nostrum: cui Te verißima Vatum
Carmina transcribent, semper donaberis ævo.

De Sapphiro consecratâ
Præeminentiæ
Illustriß: Domini, Domini

PETRI BRAHE,

Comitis in Visingsburg, L. B. In Fridboholm & Lindholm, Reg. M. S. Senatoris, Judicis Provincialis Vestmaniæ, Montanor. & Daliæ &c. &c.

PETRE, *domûs columen sinceraq; gemma* BRAHEÆ,
Accipe jucundos imitantia dona colores,
Qvos æther sublimis habet, cùm Iupiter æqvus
Decußis nebulis clarum patefecit Olympum:

Qualem

Qualem Marmaricæ sterileis qvi sulcat arenas
Sæpe videt, qviq; arva metit vicina Canopo.
Accipe Drusicolæ manibus deprensa Poetæ
Dona sub exili patriis in vallibus undâ.
Sapphirus Te nostra decet, qvam cœlicus almâ
Luce colos altisq; sacer natalibus implet.
Tu cœleste genus, Tu non mentita propago
Divini generis: qvo sive Æneia mater
Seu sator Alcidæ deluso inclaruit Orbi.
Adde qvòd excelsos celebras virtutibus ortus,
Magnanimumq; Patrem ac atavos in parte relinqvis
Major ab his studiis, qveis profecisse laboras,
Atq; ultrà tenuisse gradum: dumq; ardua flectis
Per placitum virtutis iter vestigia, pulcro
Conatu majora Tuæ præconia famæ
Concilias, propiorq; polo stirpiq; videris.
Sapphiros cole, PETRE Comes. Tibi proderit olim
Gemmas nosse meas. Quoties nam vera Tuarum
Videris aut animo tractabis symbola laudum,
Virtutum meritis ægram solabere curam,
Qvam sibi dulce decus mansuri poscit honoris:
Vnde Tibi plus lucis inest, qvâ Regia Magni
Gustavi geminas animat præsentiùs Arctos.

De Pyropo vindicatâ
Excellentiæ
Illustris Domini, Dom.

HERMANNI VRANGEL
Hæreditarii in Ahlo & Scogclöster, Eq. Aur. R. M. S. Senatoris, Mareschalli Campi, & Gen. per Borussiam Gubernatoris &c. &c.

Olbius

OLbius (id nomen mecum expatiantis amici,
Cùm mihi sub tenui gemmarum copia dives
Explorata vado est) similes capiuntur in undis,
Inqvit, & è durâ cæduntur caute Pyropi:
Si qva fides illis, qvi per juga summa vagati
Lustraq́ terrificis monstrorum horrentia formis
Et gemmam & rutili granum legêre metalli.
Persvasitq́ simul, nec cœlo déesso Borusso,
Qvicquid habent alio terræ sub Sole calentes.
Tertia pòst æstas spem maturaverat anni,
Curiaq́ agrestes renovabat clausa labores
Iustitiumq́ fori: mecum petit Olbius agros,
Ac veteres curas sub amœni sideris æstu
Induit; ad superam per cornua tendimus amnem,
Quà tenui de fonte levat caput. Ille per ingens
Præcipitans saxum qverulis admurmurat undis.
Rupe sub exesâ qui ripam effuderat humor
Plurimus angustum lambendo effecerat antrum.
Et tophum & fragileis molli stridore chelydros
Vnda pererrabat. Vidi sub lumine raro,
Quale per implexas infundunt sidera frundes
Obscuram in vallem, læti congesta Pyropi
Fragmina, perpetuis scatebris qvæ subruta rupes
Straverat in pigrâ disjectis partibus algâ.
Dum fulgens attollo decus, dumq́ omnia rimor
Et saxum impendens tueor; mihi visus adesse
Inachidos pastor. Tot lumina fronte gerebat,
Tam formidatos Argo Saturnia vultus
Indiderat: non hunc conceperat ille ruborem.
Fraudibus institerit, dixi, Cyllenius ales;
Non ego torpentes oculos aut arte sepultos
Aggrediar: Tu vi multoq́ domandus es ictu.

Postera lux aderat, nitidosq; retexerat ortus:
Incumbo, ferrumq; rigens in viscera saxi
Impello, gemmasq; levo, qvas Martia flammis
Stella suis implet. Gothici cape gloria Martis
VRANGELI mea dona manu, qvâ cuncta serenas
Arbitriis subjecta Tuis, & dona ferentem,
Exosum vulgi mores ac vota Pöetam.

De Opalo oblato
Splendori
Illustris Domini, Dom.
ACHATII AXELII,
Hæreditarii in Göxholm & Rinckestad R. Svet. Senatoris, supremi Dicasterii Stocholmi Adsessoris, & Judicis Provincialis Nericiæ.

AXELIDE, Patribus generis quem culmen avitum
Cognitaq; assiduo virtus interserit usu,
Orbis honor Gothici, cui nostra Borussia pacis
Tertia seu belli debebit vota gerendi.
Si qvid habent Opali, qvod Tu laudaveris, aut qua est
Intercursantum species Te digna colorum,
Accipe bis geminâ variatos luce lapillos.
Ignis opes cœli, qvod lucidus obtinet aër
Dat candor Tibi purus, habent freta cœrula queis Te
Muneribus mactent, qvod donet terra virescens;
Indicioq; sui certant prodesse nitoris.
DI Tibi qvid tribuant, qvæ sint ea præmia divûm,
Qveis solidum virtutis opus, patriasq; coronent

In

In non degeneri natorum pectore dotes,
Dulcia cum positis tractaveris otia curis,
Distinctæ nosces hæc per confinia lucis.
Ecce Tibi supplex procumbit Patria Vatis,
Vt belli caußis inter Tua vota sepultis
Pulcrum animum rebus serves in pace secundis.

De Amethysto adsertâ *Dignitati* *Illustris Domini, Dom.* IOHANNIS OXENSTIRNII Lib. Bar. in Cymitho, Domini in Fiholm & Tydoen, Consiliarii S. R. M. secretioris.

IANE, Patris Patriæq; decus, jam ferre labores
Docte, quibus genitor robustum præstat Atlantem;
Siqvid nota Tibi dictârit Musa Zamell,
Da faciles aures: nec Te sine munere noster
Versus adit; paullùmq; animum, qvo tamta valutas
Qvamta Pater geßit, curarum subtrahe moli.
Mitto Tibi lapides dignos hoc flore juventæ,
Qvo placitis animum cœlo virtutibus æquas.
Aspersit Venus alma rosas, & ianthinus illis
Ardor inest: mentem præsentibus erige signis.
Marcescunt violæ, non perdit gemma colorem:
Tu constans & par Amethysto pectus habebis.
Nec minuent anni, qvod mente locaveris altâ
Quæsitum virtute Bonum. Vix robora mentis
Mirati in puero populi Boreetidos oræ

 Vide-

Viderunt patrios exempla imitantia motus.
Hoc insiste gradu, qvo Te juvat ille trahitq́;
Naturæ stimulis, jamq́; ad majora remittit.
Hunc cœlo assertum divûm pater atq́; hominum rex
Si quando eripiet terris & forte caducâ,
In Te despondet Gothici sibi Curia Regni.

De Chrysolitho debitâ *Honori* Generosi & Magnifici Domini NICODEMI AB AHAUSEN, Commissarii per Borussiam Ordinarii.

Æmule Chrysolithis, purum qvibus emicat aurum,
NICODAMA, si Te nostræ juvêre Camœnæ,
Castalii qvoties maduerunt fontis ab vndâ,
Accipe Chrysolithos nostri memorabile fundi
Munus, & ex illo meritorum disce Tuorum
Cuncta meis fibris altè momenta recondi;
Qvoq́; loco tuear, jam nunc adverte recenti
Verius indicio. Non est satis esse benignum
Aut facilem, si non præstentur pectora factis.
Non ita sincerum redit è fornacibus aurum,
Non ita Chrysolithos cognata metalla venustant,
Vt mihi propitium Te non suspecta voluntas
Fecit, & integri patuerunt signa favoris.
Illa fides pretiumq́; sui veriq́; decoris.
Auspicium Gothicæ Patribus Te miscuit Arcti,
Majoresq́; Tuo capiti decernet honores.
Interea terris Tua per suffragia nostris

Au-

Aurea pax redeat; nostris pax consona donis.
Hac nil solicito melius dare Numina mundo
Nil Regum potuit Superis æquata potestas.
Arbitrio Regum Gothicæ manus ardua gentis
Sarmaticæq; coit, pacis qvi munia condant,
Et referant populis utrumq; colentibus Orbem.
Qualia desertâ spe tantùm optare licebat.
Tu pars magna virûm, qui fœdera pacis inibunt,
Redde Tibi caro Vati, gentiq; precantis,
Qvam dare Primorum potes inter vota, quietem.
Marcida, si dederis, non exiget otia Vates.

De Achate tributâ *Virtuti* *Nobilissimi & Magnifici Domini* IOACHIMI TRANSEHE, S.R.M. Sved. Consiliarii Aulici, & Residentis in Aulâ Brandeburgicâ.

TV quoq; nec visum complexus amore Poetam,
Et decus & columen Livonum TRANSÆE potentum,
Vt meritis cumulare Tuis, consorsq; decoris
Ipse Tuâ caussâ proferre encomia possis
Nostra, nec assertas non rite juvare Camœnas,
Muneribus nostris non indonatus abibis.
Te rerum Dominis virtus hæc sola probavit,
Hocq; loco posuit, quo summa negotia tractas.
Si certem officiis, hæc Te mihi præstet Achaten.
Accipe Sicanias referentia nomina gemmas,

Ad Lectorem.

SVnt & qvæ nostris venient Tibi, Lector, ab oris;
Qui mihi Te solâ dexteritate probas.
Iasponyches superant, expers & Sarda colorum,
Qvæq; hodie nostræ nomina Carnis habet.
Sunt volucrum lingvæ, sunt colla rigentia saxo:
Marmoris est instar qvod fuit antè pyrum,
Et silicem & fatuas soli Tibi dedico conchas,
In me qvem rabies ac furor armat iners.
Ite male lingvæ. Qui nobis antra reclusit,
Plus dedit Aonium quàm cecinisse melos.

Ad Phœbum inter silvas.

SIderei dux Phœbe chori, Latonia proles,
Cujus ab infuso lumine cuncta vigent:
Gramina qui campis & stirpes collibus altis
Induis, ac succo sufficiente foves:
Qvi Medicas herbas hominum producis in usus,
Carminaq; impulsæ subjicis apta lyræ:
Si duce Te summas Heliconis adivimus arces,
Si mihi qvid Vatem profuit esse Tuum;
Nostra per obscuras vestigia dirige silvas:
Nubila cum ventis disjice, redde diem.
Pande vias nemorum, nemorum mihi pande latebras:
Præbeat & tutum concava vallis iter.
Hactenus ignotas populis habitantibus Arcton
Per querulos ammes per juga venor opes.
Vt ferar in saltus, incultaq; tesqua pererrem,
Gemma Tuâ nuper luce retecta facit.
Hæc sitis undarum: liquidum mihi postulo cœlum,
Si qua mihi rutilet Numine præda Tuo.
Discimus & sanas ægris potantibus herbas,
Et quibus acceleret Thessala saga necem.

Ger-

Germina dat Boreas non explorata colono:
Silvaq́ʒ, quod tractet Pharmacopœus, habet.
Sæpe per arbustum per prata virentia pastor
Ad nocui gramen cespitis egit oves.
Sæpe fruteta nocent & stagna infecta venenis;
Sæpe fuit fessis arboris umbra gravis.
Qvid mihi se toties Vulcania gleba propinat?
Me venæ subiit splendidioris amor.
Multa dies profert. Neq́ʒ enim mea secula solum
Pactolum celebrant Hesperiumq́ʒ Tagum.
Viscera terrarum Geticis adeuntur in arvis:
Penèq́ʒ sunt omni strata metalla loco.
Qvàm malè vicinum Latius damnaverit Orbem
E puteis loquitur Teutonis ora suis.
Qvid mihi non spondent undæ salientis arenæ,
Et quæ signa catus plurima fossor habet?
Tu qvicquid dederis rarum ac memorabile Vati,
Tollet ad astrigerum versibus ille polum.
Ecce patent valles, & lucidus annuit æther.
Ad vada muscosi proxima fontis eo.

In Obtrectatorem.

DOno meas gemmas patriæ Rectoribus oræ,
Qvod serves aliis, & mea terra dabit.
Dic mihi, qui gemini fortunam respicis Orbis,
Et colis ambiguâ sceptra Boréa fide;
Qvâ facie Sveonum Tua dona probaveris hosti,
Si redigat nostros sub sua jura focos;
Sive per ætherios huîc Te devinxeris ignes,
Seu jures illud, qvod metuêre dii?
Odit & hic animos contraria castra sequentes.
Ritè favet neutri, qui duo Regna colis.

Hunc

Hunc sanctè observa, dederint qvem Numina, Regem:
In Te qvi fasces imperiumq; gerit.

Ad Illustr. Dominum, Dom.
ACHATIUM AXELII,
Hæreditarium in Göxholm & Rinckestad, Reg. Svet. Senat &c.

AXELIDE, Patriæ natas in commoda mentes
Inter ab excelsæ sangvine misse domûs,
Si minor est aliqvâ virtutum parte Tuarum
Reddita laus meritis per mea texta Tuis;
Non erit in crimen conantis summa Poëtæ.
Spes & præsidium majus in arte meâ est.
Deliteo tacitâ Vates ignobilis umbrâ:
Nec venit ad nostras copia digna manus.
Murmura me Gothicos docuêrunt parva triumfos;
Rumor erat tenuis, qvo mihi facta fides.
Sæpè latent animi tetrâ caligine pressi,
Cùm res scripturos deserit apta coli.
Subtrahe materiem, steriles imitabor arenas,
Aridaq; inculti portio ruris ero.
Subjice qvas tractem res; & sua verba seqventur.
Tramite decurram cur breviore, liquet.
Nunc postquam mihi Te præsentior ingerit usus,
Obtutuq; datur liberiore frui:
Argumenta Tui qvæcumq; ministrat honoris
Materies famæ qvam fovet aura Tuæ.
Vt mihi nascatur series certissima rerum,
Singula subsidiis colligo puncta notis.
Adde, qvòd immensi reputando signa favoris
Gaudeo, si dicar debitor esse Tuus.

Audivêre

Audivêre viri, quos Martis adorea tollit,
Arctoæ coràm pars bona gentis erat;
Cùm mea digna piis dixisses carmina bellis,
Qvalia Teutonico gessit in Orbe Gothus.
Cùm studia æquares multorum nostra labori,
Eximiumq; tuli Te tribuente decus.
Vos stolidæ pereatis opes: majora requiro
Præmia, nec vulgi turpia lucra sequor.
Stelliferi videor culmen mihi tangere cœli:
Despicio terras, cordaq; fixa solo.
Magna deûm pars est, hac qui me sorte locavit,
Sæpe canent illum carmina nostra deum.
Sed pudet: & justi causa est damnosa pudoris.
Ah pudet ad mores ista referre meos!
In mensâ in cœtu nimio persusus Iaccho
Non Tibi reddebam qualia verba decent.
Nec mens aut ratio lingvæ moderamen habebat;
Iamq; vago stabam jam titubante pede.
Da veniam poto. Fuit ardua caussa bibendi:
Estq; nefas habitum, deposuisse cados.
Vt bene Reginæ, Regni bene Patribus esset,
Fudimus ad fusum vota secunda merum.
Si malè quid feci, pœnam mihi deprecor ex hoc,
Gentis amore Tuæ qvòd bene potus eram.
Vrgebat plenos hospes lautissimus haustus,
Ebibe (sic dixit) si Gotha cordo probas,
Ebibe. Non fugiunt docti mera læta Poetæ.
Carmina qvi condunt, mollia vina bibunt.
Qvid facerem? tamti monitis impulsus amici
Larga supinato gutture vina bibi.
Vt mea victrici volvantur scripta sub Arcto,
Major ut invidiâ jam ferar, ille dedit.

Ille Tuum, AXELIDE, mihi conciliavit amorem:
Quæ vix sperari fas erat, ille dedit.
O columen populi pressorum jura tuentis,
Assere vindiciis & mea texta Tuis.
Optime Mœcenas, si qua his mihi gloria parta est
(Nota satis res est) non caret hoste suo.
Me dubios inter servet Tua dextera casus:
Et mihi dulce piæ sit meminisse manûs.
Quicquid inest nostro divini pectore motûs,
Hoc Tibi jure Tuo trado Poeta Tuus.
DI Tibi Cumææ præstent ut tempora Vatis,
Et per Te vigeant sceptra Boréa, precor.

Ad Generosum & Magnificum Dominum
IOHANNEM NICODEMUM AB AHAUSEN,
Commissarium General.

DI Tibi sint faciles; ac dum Tua vota secundant,
Quod petis, hoc tribuant uberiore manu.
Hoc magis annuerint, quò plus mea commoda curas,
Quàm mecum hoc ipso pectora nata solo.
Quàm genus & sangvis, missæq; in fœdera mentes,
Quosq; æqvos caussæ fas erat esse meæ.
Non frigent in me placidi præcordia civis;
Non, qui Castalii Numina fontis amant.
De numero ingenti parvam tamen excipe turbam:
Ingenii nostri plurimus osor erit.
Scis Tu, qui solidum præstas mihi semper Oresten,
Quàm studium lacerent ora profana meum.
Quam flagret obsequiis accensa calumnia nostris,
Cùm canerem has animas quæ meruére coli.

NICO-

NICODAMA, ſi quid livor tamen improbus hauſit,
Iudicii retuli dexteritate Tui.
Sæpe mihi caris dixi; neſcitis amici,
Qvàm juvet invidiæ ſuſtinuiſſe faces.
Suſtinui. Totam nunc eſt ea fama per urbem,
Qvalem inter gemitus nec mala lingva premit:
NICODAMAS toto Muſas ex aſſe Zamell
Adſerit: hunc unum tollit ad aſtra virum.
AXELIDEN illi modò conciliavit ACHATEN:
Nunc etiam Vati maxima Regna favent.
O dulcem ingenii tamto ſub judice fructum,
Cùm decus emeritum promovet ipſe furor!
Qvid reddam? ſtudiis certant Tua præmia noſtris,
Quotidieq́ mei vincor amore Tuo.
Queis placui primùm, Mœcenas, accipe dotes.
His rerum Dominæ Principibusq́ prober.
DI ſuperi, à vobis ſi quid me poſcere verum;
Hoc dabitis ſalvo NICODAMANTE meo.

Ad Eumdem

DA mihi Nicodama, Patriæ inclareſcere luxu,
Et populo gemmas vendere poſse meas.
Victitat exiguis Vatum bona portio micis,
Ac ſcrupi tolerat ſe rudioris agro.
Non omnis magno fidum Corybanta Tonanti,
Aut Celmo dignas terra profundit opes,
Si mihi partus honor ſæpe & non magna colenti,
Gemmarum à cultu gloria major erit.
Tu famæ pars eſse mea diceris & autor,
Resq́ auctum calamo Druſidos iſse meo.

Frid. Zamell

GEMMARUM MANGO.

ÆStus diei erat, qualem flagrantiſsimum exortę Caniculę ſidus excitaverat. Meridiantib. Hircii operis, ad qvem in amoeniſsimā villam juſtitio indicto ſeceſſeram, propter veſtibuli oſtium conſedimus. Ante fores ab exiguo clivo Regia ſe via non procùl aperiebat. Illam præter venalitios pauci tunc inſiſtebant, qui ad proximam urbem commeant. Prætererierat Neptunaliorum dies, & labor ſvadente cœlo fervebat omnium, qui rem rureſtrem faciunt. Fortè accidit, ut cùm in ſubjectum ædibus agrum oculos mecum conjiceret Hircius; jugo deſcenderet, qvem alienigenam eſſe & nigricans faciei color, & habitûs licet obſoleti argueret inſolentia. Qvi ubi propiùs acceſsiſset ac familiariùs inſpexiſſe pro nutu eſſet, ad inumbrantis tecti projecta ſuccedens invitantibus nobis ipſum intrò ſubiit. Prior veniam Germanico ſed prorſus corrupto idiomate precatus ac corporis laſſitudinē excuſans, poſitâ ſellâ juxtà aſſedit. Rogante Hircio, ut ſolet primùm apud ignotos, quę ſuſcepti itineris cauſſa eſſet, quòve vellet; ille à gente Patriâq; ſermone inchoato, Siculæ originis Genuenſem eſſe ſe, mangoniumq; gemmarum profeſſus eſt.

Si-

Simul cum dicto thecam nitidissimis gemmis refertam loculis eximens in apertum protulit. Adamantes, Sapphiri, Smaragdi, Opali, Amethysti, Chrysolithi, Berylli, plures permistiq; inerant, auro omnes inclusi. Eorum collucentium fulgor adeo obtuentium oculos præstringebat, ut præcipitem Phaethontis currum excepisse videretur angusta capsula. Cùm Adamantas, ut qvi chorum inter reliquas gemmas ducunt, attentiùs aspexissem; atq; essent, qui visum candore suo non sisterent, sed aciem transmitterent; subridens ego, &, si Latinè sciret percontatus, ad affirmantē, quid inter præstantissima Orientis dona hi lapilli, inquam, quos vel amnes nostri in ripâ deserunt? Ad hæc hospes: Satis comperi nullos mortalium esse, qui æquè sui coeli bona fastidiant, atq; Vos qvi Aquilonem colitis. Non hoc faciunt ii, quos Alpes aut maria longinqua à vobis separant. Opes suas amant, nec vestras tamen respuunt. Succina gutta prę vilitate apud Vos vix pretium sui invenit, quam magno emit Italia. Durior est Adamas, quem India mittit, molliora populi pectora. Fragilior vestræ terræ gemma, firmiori estis corpore. Nec, si Eoæ plagæ incola imbecillior est, quàm Vos estis; execratur hunc, sed alit fovetq; solum, quo genitus est. Quamtò æquius erat, vestris rebus colendis Vos eum præstare affectū, quem

bruta

bruta tellus naturæ ſponte exprimit. Magna eſt ſummi Numinis in Vos clementia: quam aut ignoratis aut veriùs contemnitis. Si non tàm peregrini quàm veſtri cœli dotes amore ſui Vos accenderent; exigua gemma tamti beneficii gratam memoriam geſtantibus quotidie ſurggereret. Impunè id Vobis eſſe poterat, ſi qui Lyncei heic eſtis, in animos Politicorum veſtrorum reſpiceretis altiùs. Multi eorum cinno ad ſatis proſtitutam vanitatem compoſito, tum veſtitu à communi diſcrepante, nec non molli ac gynæcéis multùm laudato corporis geſtu, nonnullâq; exoticæ linguæ peritiâ ſubnixi Remp. pleriſq; in urbib. involant. Quibus ſi hæc frivola ademeris; quid reſtabit præſidii, quo tutò confiſi inſtar terreni Orbis libratum pendensq; Reip. corpus ſuſtinere audeant? Ne famam benemerentium nefariè ſugillem; novi viros inſigni autoritate præditos, qui quòd in Principum aulis ſæpe verſantur, in Aulicorum mores aut cultum ſaltem tranſeunt; ejus, quam gerunt, functionis gratiâ. Stuporem mihi injecit quorumdam ex primoribus languor: qui, cùm non rarò in naufragâ civitate ſedeant; nec id curant, ut nati ex ipſis ad eam rationem inſtituantur, quæ rebus ſuæ urbis accommoda eſt. Vt taceam, nec utiles aut legitimas peregrinationes ſuſcipi à non paucis,

cis,

cis, qui externas oras adeunt; & negligi ista doctorù monumenta, quę non tàm civibus Atticæ, quàm universo Orbi relicta sunt. Sed quorsum ista mango, dixeritis; quorsùm advena? si nec optimi civis hortatu retexat se hæc ætas immersa malis suis: sanè inquam, si circumstantibus etiam majoribus calamitosa non movet se, aut torporem excutit. De me: quàmvis hoc loco gentis meæ cunabula non sint; omnis tamen me nutrit terra, omnis mihi patria est. Cùm hæc & pluria eam in mentē disserendo, ac bonum Civem, id est, Politicum ex Aristolis Platonisq; sententiâ delineando quamdam quasi benè constitutæ Reip. formam adumbrâsset, delectatus arguti hominis facundâ oratione Hircius, etiam elegantiores Musas consectatus es? ait. Tùm ille: à juventute meâ Latinis Græcisq; literis imbutus ætatem in iis trivi maximam. Nullâ spe aut me aut meos sustentandi inde emergente, gemmarum mangonium exercere occepi, questu nec indecoro nec improbo. Vt hoc vivendi institutum amplecterer, eqvorum mango frater impulit. Is cùm bona, quæ illi ex paternâ hęreditate obvenerāt, inter Musas Phœbumq; abliguriisset, aut ut planiùs dicam, magnis sumtibus nec exiguos in arte Medicâ profectus fecisset; neq; haberet unde honestiùs hanc vitam degeret,

geret, eò adactus est: cujus tamē rei eum numquam pœnituit. Admiratus porrò solertis ingenii constantiam inter dubiæ sortis ludibria Hircius, quales majorum fuissent opes interrogat: lautissimæ erant, respondet hospes. Nec Siciliam inopiâ aut exilio avus, qui primus inde Larem in Liguriam migraverat, mutavit; sed allectus ab Adurniis, quibus cum aliqua erat cognatio, major necessitas. Siti non modicâ torqueri videbatur, cùm Hircius, si cœlo nostro assuevisti, inquit, nec potum abhorebis, quo durus Septemtrio sitis ardorem habitatoribus suis propellit, multùm etiā tamquam meracissimâ uvâ eosdem exhilarat. Hæc inter guttum aquiminario eximens sincerum ac defecatum laticem fundit, non abnuente hospite: quem cùm bis terq; non sine manifesto voluptatis sensu degustasset; debeo Tibi vir humanissime, ait: atq utinam hoc nomen, quod feci apud Te, olim dignè exolvam: simulq; parat abitum. Dum obnixè instat Hircius, noctem ut maneat, jucundo amoris contubernio inter nulla sua dispendia nobis profuturus; ægre impetrat. Licèt hoc totum vix Hircii preces obtinuisse viderentur, nisi irrito pluviarum metu nubecula polum abscondidisset, quem subitò spectantium oculis redderet. Exuerat amiculum Ligur non tàm ab gentis indole quàm suopte ingenio & industriâ nobis commen-

datis-

datiſsimus; cùm thecas mangonii ſui exerens, easdem Hircio cuſtodiendas tradit. Credo me Vobis & omnia mea, viri honeſti, inquit: quos tales eſſe & animus veſter loquitur, & amor in literas. Cui Hircius: Si ea integritas etiam ſceleri à virtute præſtanda eſt; qualem fas ſit Tibi me exhibeam, qui Xenium Iovem ad me venienti præſto? Deinde ſi Tu cum autore hujus dicti & mentis *Mundanus* es, intra familiam & gentem Tuam eris. Cæterùm quia cum Sole dies inclinaverat; Hircius cœnâ jam coctâ in diætam nos abducit, comiterq; diſcumbere juſſos & lautè & hilariuſculè accipit. Poſtquam enim in eoſdem fortè ſermones recidiſſet, majoresq; ſuos quorumdam factione unà cum ſtirpis fortunâ oppreſſos non obſcurè innueret hoſpes paullùm ingemiſcens; ille non prolixè conſolatus animum, qui tales caſus ferre didiciſſet, merum vinum Græco ritu propinabat; tum qui tibiam inflaret, adhibebat ſui ruſculi Tityrum. Præter melimela ſatis matura pomis de auctumno in vetuſtatem repoſitis, frigidiſsimâq; ſeptorum cryptâ asſervatis, menſas ſecundas exornaverat. Cùmq; eſſet ante mangonem aliis loculoſius unum, poſthabitoq; illo ſimplicius inquireret Hircius, quod hoſpiti apponeret, modeſtè arridens mango: næ ſi de formâ inter tres deas judicium mihi pro Paride ferendum

D fuiſſet

fuiſſet, relicto etiam de pomis arbitrio; hoc potiùs, qvod Tu virorum præſtantiſsime reliqvis poſtponis, pulcerrimæ donaverim. Hercle nec meo calculo aliud in Venerem conveniſſet, reſpondet Hircius; Tibi tamen, non valente in Te ſcommate, non offeram. Occaſione à pomis datâ, quærebat Hircius, ſi pares in Liguriâ hortorum fructus haberent? Sunt, ait, & quidem feliciore ſatu ac proventu. Eodem enim anno & ſeruntur arbores & adoleſcunt, uberrimoq; fœnore cultoris induſtriam penſant. Inſtante Hircio, numquid hortum in patriâ conſeviſſet? negat ille, quia non habuiſſet. Id agebat hoſpes, ut extemporaneo joco convivii accenſam lætitiam inter ſubmiſſos riſus traheret. Vultu deinde ad majorem ſeveritatem contracto; Equidem felices, inquit, vel hoc ſtripe Vos prædico, cujus in genere tamta varietas, ut Italici ſoli ambitum etiam deſpiciat præſtantior Germaniæ oręq; vicinæ abundantia. Borrostrophorum, Crocinorum, Pareliorum nomina (nam quid cætera?) tum didici, cùm iis in locis geminas æstates agerem, quibus Roma transmiſso Rheno docuit, etiam ſe adiri poſse Nec eſt, quòd ad menſas ſolùm reſpiciam, quæ à tali miſſu ſecundæ ſunt: etiam ſi in torpore dediti nec cœlum proximæ gentis nec fortunam veſtram putetis, ab eâdem ſunt & terræ & armentorum fructus, qui-

bus

bus Borussiæ fora quotidie complētur, fictilibus insuper optimi artificii inde propinatis, in quibus gratissimam dispensetis copiam. Iam si litora, lacus, flumina rivulosq; tuear; illud locuples vitæ præsidium est, quod videntes peregrinæ nationes exutâ invidiâ quæsitisq; necessitatibus matrimoniisq; in communionem abeunt. Appetente nocte ac mangone in cubiculum, ubi quiesceret, præmisso conversus ad me solum Hircius; dum repeto, ait, qvæ hodie Dioxippus (id mangoni nomen) eruditè dixit, subit me recordatio promissi Tui, quando exolves? Qvod? inquam. Fugitne Te, reddit, qvæ in proximis Tuis literis ad me de *Repub. Barbarâ* perscripseris? ex iis illam mihi assero; si adornas modò, ut reor. Ego verò: faxo, dIs Patriæ ita volentibus, ut ne frustra asseruisse videaris. Finitis his, cùm placidam quietem alter alteri comprecati essemus, ad lectulos utrimq; discessum est. Jam clarum Solis jubar montium juga illustraverat, flantibusq; Etesiis gratissimæ diluculò viatoribus auræ aspiraverant. Surgit mango, atq; receptis reculis suis itineri se accingit; Hircio, qui præter doctrinam etiam mores hominis amare cœperat, frustra renitente. Postqvam nec me, ut diutius permanerem, invitum cogere posset; longiùs deductum post mutuos amplexus humaniter dimisit. Ad passus sex aut septem

ptem iter relegerat, cùm revocatos me & mangonem ita alloquitur: Cùm iſte Sirii ardor remiſerit, & adorea meſsis noſtræ collecta erit, reviſes ad me, Zameli, ſub vindemiæ dies? Tu verò, Dioxippe, quoties hàc ibis, ſubibis? Etiam, diximus. Deniq; ad me idem: qvamprimùm aliquid de communibus amicis è Belgio Trinobatibusq; erit, literis me Tuis certiorem ut facias, admoneo. Si quid pervenerit, ajo, noſces opidò. Nam & tabellariorum tranſeuntium prȩſtò eſt manus, nec noſtrorum deeſt hominum opera, qvotidie ad Vos commeantium. Curriculum ad proximum opidum præmiſeram: pedeſtri itaq; itinere cum mangone ſvaviſsimo comite viam ingreſſus, eidem appropinquo. Vbi cùm ille ſubſtitiſſet, ecqua contubernii noſtri apud Te extabit memoria? inquit. Extabit, dico, vel acerrima: ac quoties in Boruſſos deflectes; ad me eâdem fide, quâ ad Hircium, ut promittas, amicè rogo. Cùm promiſiſset, ac ſecus compitum divertiſſet Gallum quemdam præſtolatus, quî cum Ottocaropolin ad mercatum proficiſceretur, ego conſcensâ rhedâ per apertos agros inter lætiſsima agricolationis munia invectus, ſub imminens crepuſculum expectanti familiæ me reddidi.